



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 302. In nomine meo dæmonia eijcient. v. 18.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

nunc ex sequentibus videbimus Calvinismum. quid igitur ille plus dicit Lutherismo? Hoc. Lutherus à bonis operibus reuocauit homines ad solam fidem & baptismum. parum erat iste Epicuræismus, & Eleutherismus, sublimior & liberalior voluit esse Calvinismus, iste etiam baptismum condonauit. Itane? imo vero. nam hic valet; Tantum crede, & sufficit. baptismus solum sigillat, quod fides donauit. Ecce liberalitatem Calvinismi. sed forte Calvinista id verum esse negabit. Ita, assolent negare, & pernegare, & dicere & affirmare, prout sibi vtile videtur. Libri ipsorum & Acta remonstrant.

**D**omine Deus magna fuit tua patientia & mansuetudo in passione, sed reuera multo maior nobis indies elucet in tua sustinentia, quam habes erga modernos apostatas & hæreticorum Dogmatum assertores. illi enim multo turpius, iniquius & contumeliosius tecum agunt. In passione tua inimici tui agebant professes & palam contra te, hi simulant se tecum esse, & sunt aguntque contra te nequissime. Miserre eorum infinite misericors.

§. 301. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. v. 17.*

Vt fides Christiana probabilis fiat Iudæis opus est scripturis, vt gentibus, opus & miraculis. id ex hoc alijsque Domini exactissimis dictis & actis iam constat. cum igitur Apostolos suos & ad Iudæos, sed primum, deinde ad gentes mittendos declarasset, vtrisque opportuna media suggessit. Pro Iudæo, aperuit eis sensum vt intelligerent scripturas, pro gentili, potestatem super dæmonia, & venena & morbos, & cordis secreta.

**O** Prouidum patrem familias! ô Doctorem perfectum & absolutum! Iam intelligo, quod possis hodieque dicere tuis: *Quando nisi vos suos sacculo & pera? nunquid aliquid defuit nobis? Dico Domine, Nihil. Omnia in pondere numero & mensura ordinasti. Optime Domine, optime.*

§. 302. *In nomine meo dæmonia eijcient. v. 18.*

Hoc primum euidentis credibilitatis Legatorum Domini nostri ad gentes est signum. quantum vero illo signo profectum sit, hodieque proficiatur. norunt qui Historiam Ecclesiasticam non negligunt. obuia sunt istic & annua exempla. Ab actis Apostolorum ordiatur, cui libet ea nosse.

**O** Deus fac obsecro signum in bonum cum his qui non nouerunt te, vt videntes signa intelligant & conuertantur, & te nobiscum adorent, qui supra dæmonia tuis das amplam potestatem.

§. 303